



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Disputatio XXXIV. De desperatione & præsumptione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

DISPUTATIO TRIGESIMA QUARTA.

De desperatione, & præsumptione.

VT secundum quis tot inter vitæ hujus fluctus ac tempestates cursum teneat, atque ad cælestis Beatitudinis portum pertingat, hi duo scopuli vitandi, ad quos allisi non pauci naufragium fecerunt, aternæque felicitate, quò vela omnes ac vota dirigere debent, exciderunt. Multi namque dum innumeris se flagitiis & sceleribus implicant, magisq; ac magis quotidie in voluptatum cæno volutantur, sibi nihilominus in mediis periculis securitatem pollicentur, divinæq; misericordiæ velut arreptâ tabulâ à naufragio tutos se fore confidunt. Alii è contra ubi in graviora quadam crimina sunt prolapsi, animum illico despondent, aliterque de Deo, quàm summa ejus bonitas & clementia postulant existimantes, de peccatorum veniâ desperant, sicq; scelera sceleribus addendo, ad cælestem felicitatem ultro sibi viam ocludunt, & in interitum ruunt voluntarium. Hac ergo duo opposita Spei vitia hic declaranda, eorûmq; natura & proprietates investiganda.

SECTIO PRIMA.

Quid sit desperatio, & an sit actus intellectus vel voluntatis.

I. Voluntati qui desperationem in solo actu intellectus consistere.



TRIPLEX hacin re est dicendi modus: Primus quorundam asserentium desperationem formaliter consistere, & consummari in judicio imprudenti, quo quis judicat se non fore salvandum, dicuntque non semper esse per se necessarium actum voluntatis, ad desperationem. Primum probant, tale namque judicium aufert objectum Spei, & rationem illius formalem, adeoque contrarium est prudenti, ac debito judicio, quod quilibet habere debet de futurâ Beatitudinis consecutione ex gratiâ Dei: unde & qui sic judicat, impotens manet ad sperandum; ergo habet peccatum contra Spem, & non tantum omissionem, sed per judicium contrarium.

II. Dignus is, inquit, qui habet hunc judicium

Si opponas, supposito illo judicio non posse quidem illum hominem sperare, non tamen eo ipso positivè desperare, hæc enim duo sunt diversissima, nec se mutuo aut necessario sequun-

tur, saltem quoad exercitium, quicquid sit quoad specificationem. Contra, inquit, quia per tale judicium non solum peccat is omissione actus Spei, sed potius tanquam per aliquid contrarium objecto Spei, ergo non solum est peccatum omissionis, sed etiam commissionis, atque adeo desperationis positivæ. Secundum vero, quod scilicet desperatio non includat per se actum voluntatis, sic probant, ejusmodi namque actus voluntatis vel esset recessus à malo ut sic, & ita malus esse non potest, sicut nec timor est malus, quia est fuga mali: vel actus ille esset recessus à bono, & hic actus est impossibilis, voluntas enim potest quidem non prolequi bonum, desperatio autem ut constat, si esset actus voluntatis, foret recessus à bono, ergo.

peccat solum peccato omissionis Spei, sed postero desperationis.

Deinde ostendit conatur desperationem non includere actum voluntatis.

Secunda sententia affirmat ad desperationem sufficere prædictum judicium intellectus, perfici tamen quandoque per actum voluntatis. Quoad primam partem, idem est utriusque sententiæ fundamentum: quoad secundam constabit ex dicendis pro verâ sententiâ.

III.

Secundo voluntati alii desperationem perfici per actum voluntatis.

Tertia demum sententia docet desperationem formaliter consistere, & consummari in solo actu voluntatis contrario Spei, neque formaliter consummari per actum intellectus; sicut enim Spes est erectio

IV.

Tertio dicit nonnulli desperationem in solo actu

Tom. II.
voluntatis
sicut esse.

*Non à con-
trario decla-
ratur exem-
plo actus
Spei.*

V.
In nullo
actu intelle-
ctus consistit
formaliter
desperatio.

*Inefficax
quorundam
conclusionis
hujus pro-
batio.*

VI.
Exemplo Spei
ostenditur
desperatio-
nem non co-
sistere in ac-
tu intelle-
ctus.

VII.
Desperatio
radicaliter
tantum &
presumptio
sua est
in actu in-
tellectus.

*Per iudicium
illud volun-
tas est quoad
specificatio-
nem deter-
minata ad
desperandū.*

*Quis actus
ut plurimum
præcedat
desperatio-
nem.*

VIII.
Desperatio
formaliter
consistit in
actu volun-
tatis.

IX.
Non potest
consistere
desperatio
in actu quo

est erectio animi circa bonum arduum possibile ad superandas difficultates, quæ in ejus assecutione occurrunt, ita desperatio est dejectio animi à consecutione ejusdem, dum ab ejus arduitate se superari patitur voluntas. Unde ait hæc sententia, sicut Spes Theologica est erectio animi in Deum ut bonum nostrum arduum, auxiliis gratiæ consequendum, & in media ad id necessaria, ita desperatio illi opposita, est dejectio animi à consecutione veniæ peccatorum, & aliorum mediorum, quasi nequeat homo ea, etiam divini ope adipisci.

V. Prima conclusio: Desperatio non potest consistere formaliter in aliquo iudicio, vel actu intellectu: ita Divus Thomas art. 1. & 2. ubi ait desperationem ad vim appetitivam pertinere. Hanc conclusionem probant aliqui, si enim desperatio non esset actus voluntatis, non posset expellere habitum Spei, qui est in voluntate, formæ enim mutuæ se expellentes in eadem esse debent potentiæ, & immediato subjecto. Hæc tamen ratio non videtur efficax, cum gratia in ipsâ animæ substantiâ residens expellatur formaliter, & ex naturâ rei per quodvis peccatum residens in voluntate. Deinde hæc ratio solum procedit in sententiâ potentias distinguente ab animâ.

VI. Probatur ergo conclusio: Oppositorum namque eadem est ratio, sicut ergo actus Spei non consistit formaliter, sed tantum præsuppositivè in illo præcedenti iudicio intellectu, quo prudenter iudicatur futura beatitudo à Deo, ita ex opposito desperatio non consistit formaliter, sed tantum præsuppositivè in illo imprudenti iudicio intellectu, quo iudicatur non futura beatitudo.

VII. Ut autem solvatur fundamentum primæ sententiæ, & nostra amplius confirmetur, addendum est ex fundamento illius solum convinci, in illo iudicio radicaliter & præsuppositivè sitam esse desperationem, quemadmodum & alia vitia moralia, tametsi formaliter sint in voluntate, radicaliter tamen sunt in intellectu. Illud ergo peculiarare est in prædicto imprudenti iudicio contra Spem, quod per illud præhabitu imprudens iudicium jam sit determinata voluntas quoad specificationem ad desperationem, seu ad vitium positivè oppositum Spei, atque adeo est quasi radicalis, etsi non formalis desperatio sine actu voluntatis. Imo multi probabiliter asserunt, antequam quis iudicet se esse de numero reproborum, præcedere ferè semper desperationem in voluntate; quando enim ex luxuriâ vel acediâ procedit desperatio ex inclinatione ad voluptates, vel tædio ad res divinas, elicit, inquirunt, quis hunc actum. *Nolo deinceps curare de meâ salute, sed ludere & me voluptatibus trahere:* qui actus pugnat cum Spe: ex hoc verò actu sequitur actus, quo se intuetur, & iudicat tanquam de numero reproborum.

VIII. Secunda conclusio: Desperatio, de quâ hîc loquimur, formaliter consistit in actu voluntatis, per quem absolutè quis statuit non amplius prosequi, aut sperare beatitudinem. Ratio est, hic namque actus unicus videtur, in quo desperatio possit reperiri, ut videbimus: cum ergo actui Spei ita opponitur, ut in eodem subjecto cum eo simul nequeat consistere, non apparet in quo actu convenientius collocari possit.

IX. Hoc ulterius declaratur: Desperatio siquidem non est actus, quo quis directè oderit, seu aversetur beatitudinem, non enim videtur fieri posse, ut quis positivè nolit esse beatus, ad hoc namque

requiritur, ut quis rationem aliquam mali apprehendat in beatitudine, quod tamen fieri nequit, cum hæc sit bonorum omnium complexio, & omne malum à se essentialiter excludat. Cum ergo constet plurimos desperare, non videtur in hoc situm esse conceptum desperationis.

Dices: Actus ille, in quo nos supra statui-
mus desperationem, quo nimirum quis absolutè decrevit eam non prosequi, non opponitur directè Spei, cum hic actus, & actus Spei non ver-
sentur circa idem objectum, quod tamen necessarium videtur, ut actus aliqui opponantur; se-
quela probatur, Spes quippe est volitio beatitudinis, actus autem ille, in quo nos statuimus desperationem, non est volitio seu odium beatitudinis, utpote quam omnes, etiam damnati, ac dæmones amant & desiderant, sed est volitio prosecutionis beatitudinis, sicque est de alio ob-
jecto.

Respondetur negando hos duos actus sibi invicem non opponi; per actum enim Spei sperat quis se consecuturum beatitudinem; & hic actus, ut jam sæpius diximus, non in finem tantum, seu Deum visum, sed in media etiam fertur, à Deo ad hujus finis adeptionem conferenda. Hinc constat hos duos actus, Spei scilicet & Desperationis, versari circa idem objectum, prosecutionem nimirum beatitudinis, quam sperans vult, desperans non vult prosequi.

SECTIO SECUNDA.

Quædam annotantur circa Præsumptionem.

PRÆSUMPTIO, ut ex Divo Thoma 2. 2. I. quæst. 21. art. 4. habetur, est vitium desperationi è diametro oppositum, Speique contrarium per excessum. In hoc verò consistit ejus malitia, quod quis divina benignitati ac clementiæ nimium confusus, firmiter sibi persuadeat se aliquid præter legem ordinariam à Deo obtenturum, idque temerè & sine fundamento. Hoc proinde vitium, non ex superbiâ tantum, quod asserit S. Thomas loco citato, sed ex inconsiderantiâ, & stultâ quadam fiducia ortum ducere videtur.

Præsumptio autem, de quâ in præsentī loquimur, nempe circabeatitudinem, duobus modis contingit, & utraque præsumptio est gravissimum peccatum, quia supponit iudicium hæreticum. Prima præsumptio est, quâ quis propriis viribus, & sine gratiâ Dei sperat se caelestem gloriam adepturum, quæ fuit hæresis Pelagii. Altera præsumptio est hæreticorum nostri temporis, qui absque penitentiâ, & ullis omnino meritis, solâ Dei misericordiâ ad cælum se perventuros confidunt, & hac de causâ bona opera ac merita contemnunt. Hæc secunda hæresis multò est periculosior præcedente, viam enim omni flagitiorum generi aperit, dum hominibus persuadeat, quot se cunque sceleribus contaminent, Dei tamen benignitate & misericordia se è damnationis periculo ereptum iri, caelestique gloriâ posituros.

Est ergo præsumptio peccatum ex genere suo gravissimum, tum quia est contra perfectissimam virtutem, tum quia damnum longè maximum mortalibus infert, dum inani eos Spe lactans, in infernum agit præcipientes. Quamvis autem hæc

*quis directè
oderit bea-
titudinem.*

X.
*Obicitur
actus despe-
rationis non
opponitur
actui Spei.*

XI.
*Ostenditur
Spem & de-
sperationem
versari cir-
ca idem ob-
jectum.*

I.
*In quo sita
est præsum-
ptio non
tanta.*

*Præsumptio
non nascitur
ex præsum-
ptio.*

II.
*Duplex præ-
sumptio cir-
ca beatitu-
dinem.*

*Pelagianorū
& Lutherano-
rum præ-
sumptio.*

III.
*Ostenditur
præsumptio-
nem esse pec-
catum ex
genere suo
gravissimū.*

duæ præsumptiones circa beatitudinem, eo modo quo eas jam declaravimus, haberi nequeant sine infidelitate, si tamen quis, retentâ fide iudicaret fore ut Deus peculiari cum ipso utatur misericordiâ, & quantumvis peccatis se ac vitiiis tota vita immergat, actum tamen contritionis, aut quid simile in fine vitæ concedat, quo infernum vitet, in hoc, inquam, casu in præsumptionem incideret, non in hæresim.

IV. Quæres, Utrum præsumptio tollat habitum Spei? Certum est præsumptiones illas Pelagii & Lutheranorum eum tollere, cum supponant actum infidelitatis, per quem tollitur Fides, & consequenter Spes. Quoad tertium autem præsumptionis actum, quem numero præcedente declaravimus, quo nimirum quis in peccatis diu permanens, sperat Deum in fine vitæ gratiam concessurum, qua de offensis doleat, & consequatur salutem, probabilius inquam videtur per hunc actum non amitti habitum Spei, cum nulum prædicatum habeat actui Spei repugnans. Sicut ergo non pugnat cum actu Spei, ita nec cum habitu.

V. Quæres secundò, quando obliget præceptum Spei? Respondetur præceptum negativum Spei, seu de non desperando aut præsumendo, semper obligare. Præceptum verò affirmativum Spei

inprimis tunc obligat, quando quis gravi tentatione desperationis impetitur. Nonnulli etiam probabiliter existimant, quando aliquis primò in vitâ de Spe, ejusque necessitate cogitat, teneri cum ad actum Spei elicendum. Nulla tamen ratione admittendum quod affirmat Bannez, teneri scilicet unumquemque primo instanti rationis actum Spei elicere, hoc inquam, nullo modo est admittendum, & iisdem rationibus improbat, quibus Tomo præcedente, Disp. 105. Sect. 2. num. 10. ostendimus neminem primo usus rationis instanti teneri ad actum amoris Dei super omnia elicendum. Per peccata autem præceptis affirmativis contraria non destruitur Spes, sed solum per peccata opposita præceptis negativis.

Idem dicendum de præcepto timoris, tunc nimirum affirmativum timoris obligare, quando quis vehemente præsumptionis tentatione urgetur, aut etiam quando ad aliquod peccatum vitandum necessarius est actus timoris vel filialis, vel servilis, quo quis se Deo submittat, ejusque præceptis, vel ex amore erga Patrem, vel metu pœnæ ab æquissimo iudice infligendæ, obtemperet, ut Disputatione præcedente, dum de diversis generibus timoris, est declaratum.

VI. Quando tenetur quis elicere actum timoris.

Finis Tractatus de Spe.



DISPUTA-